



Georgius natus est Villingæ honestis parenti-
bus anno 1500. Is cum felici ingenio esset præ-
ditus, post prima literarū fundamenta feliciter ia-
cta, sese ad Friburgensem academiā cōtulit, atq̃
philosophiæ & liberalibus artibus magna diligen-
tia incubuit. In ijs cum magnam sibi eruditionem
comparasset, scholæ puerorum Friburgi præfici-
t. Itaq̃ Georgius Spartam adeptus exornauit, atq̃
iuuentutem suæ fidei concreditam magna fidelita-
te instituit. Cum autem ipse ad maiora natus esset,
Medicinæ studium suæ functioni coniunxit, atq̃
suis uigilijs effecit, ut Doctoralia insignia in ea fa-
cultate sibi compararit. Postea anno 1540 ab Archi-

ducali Curia superioris Alsatiæ in Ensisheim uocatus, atq̃ eius loci Medicus
constitutus est. Eam uocationem Georgius suscipiens, magna laude Medici-
nam exercitare cœpit, atq̃ ægrotis rara humanitate succurrit. Quoniam uerò
is multæ lectionis esset, in re Medica de herbarum naturis, uarijs morborum
remedijs, Thermarum uirtutibus, rebus non naturalibus, & multis alijs hu-
iusmodi uarios tractatus Latinè & Germanicè ædidiit, & suis lucubrationi-
bus omnibus doctis innotuit. In eo genere uitæ Georgius etiamnum pergit,
& ob uitæ integritatem & multiplicem eruditionem omnibus gratissimus e-
xistit. Anon.